



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem  
Partes Brevis Ac Lvcvlenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

**Veken, Frans van der**

**Coloniae, 1644**

§ 1. De persona, quam Sacerdos hic sustinet

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9878**

## §. I.

*De Persona, quam Sacerdos hic  
sustinet.*

**H**oc præcipue loco Sacerdos illud S. Ignatij a, in Epistola ad Ephesios sibi dictum existimet, *Estote Ministri Dei, & Os Christi: ut enim optimè obseruat S. Ambrosius l. 4. de Sacramentis c. 4. reliqua omnia, quæ dicuntur, laudem Deo deferunt: oratio premittitur pro populo, pro Regibus, pro ceteris: ubi venit ut conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Hinc non aliter, quam si ipse esset Christus, ait: Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei.*

Consideret igitur, cuius hic personam exhibeat, nec vultum tantum, oculos, manus ad eius dignitatem & maiestatem componat, quod & histriones

no-

a Epist. 14.

3

norunt, quando licet sint vilissimi, e-  
mentito habitu Regem aut Cæsarem  
in theatrum deferunt: sed præsertim  
suppares Saluatori animos induat, eaq;  
in Deum religione, in eundem ac pro-  
ximum charitate, deuotione & mentis  
eleuatione hoc Sacrificium offerat, qua  
Christus idem obtulit in vltimâ Cœnâ,  
vel etiam in Cruce: quantum tamen  
mortalibus eius sequi vestigia passibus  
haud æquis conceditur.

Cogitat etiam hîc sese in nobilissimo  
sanctorum Angelorum versari theatro:  
nam, teste Chrysostomo a, per id tem-  
pus & Angeli Sacerdoti assident, & cœ-  
lestium potestatum uniuersus ordo cla-  
mores excitat, & locus Altari vicinus,  
in illius honorem, qui immolatur, An-  
gelorum chorus plenus est. Qui oculati-  
ssimi spectatores omnia interna Sa-  
cerdotis & externa considerant, sta-  
timq; notant, si quid in illis dissonum  
sit à persona, quam sustinet. Sed men-

E 7  
supral. b. de Sacerd. c. 4.

tis oculos maximè in Christum totamq;  
Sanctissimam Trinitatem omnia intu-  
entem intendat, & ab occulto præcone  
(Angelorū scilicet assistentium aliquo)  
illud sibi inclamari intelligat, *Hoc age.*

## §. II.

*De Consecratione Corporis Christi.*

**Q**uid porrò Sacerdoti agendum  
in Consecratione panis, præscri-  
bitur verbis sequentibus, qui pridie  
quām pateretur, &c. Quorum alia præ-  
ambula sunt ad Consecrationem, & à  
Sacerdote proferuntur historicè & re-  
citatiuè: alia vim Consecrationis con-  
tinent, atque etiam personaliter & e-  
nunciatiuè dicuntur. In historicis re-  
fertur, quo pacto Dominus noster hoc  
Sacrificium instituerit, Patriq; obtule-  
rit in vltima Cœna: ut inspiciat Sacer-  
dos, & faciat secundùm exemplar; idq;  
tam perfectum & singulare, ut ad imita-  
tionem, neque quoad oculos & manus,

neque